



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

III. Libri. Pars II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

assumpsit formam humanam : quod permittit Dominus, vt tentatio ista certior fieret. Item, ad Corinth. 7. Reuertimini in idipsum, ne tentet vos sathanas. Et Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum harum. Et, Cur tentauit sathanas cor tuum? Et de beato Martino legitur, quod diabolus multoties apparuit ei in forma humana. Similiter de beato Antonio, cui apparuit in forma pueri nigri: & in forma animalium diuersorum generum. Simile legitur de multis aliis Sanctis.

Actor. 5.

SECUNDA PARS HVIVS TERTII
vno tantum clauditur capitulo. In quo ostenditur,
quod tentationes amicis Dei multum
sunt vtilis.

CAPVT I.

CIRCA secundum notandum, quod tentatio est multum vtilis. Bernardus: Necessesse est vt tentationes veniant. Quis enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit? Aut quomodo certabit, si desit qui pugnet? Quid mihi cum victoria: si nec in praelio fui? Impudentissime mihi arrogo vel gloriam sine victoria: vel victoriam sine pugna. Tentatio primo erudit. Armorum experientia militibus est necessaria. Militia est vita hominis super terram. Hæ sunt gentes quas reliquit Dominus, vt in his erudiret Israëlem. Qui non est tentatus, quid scit? In eodem. Qui tentatus non est, quid scit? Secundò, humiliat; & sic à præcipitio superbia

*Serm. 64.
super Can.
in prin.*

Iob. 7.

Iob. 3.

Eccl. 34.

bia conseruat. Gregorius. Dum vitia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant. Idem. Iebusæum Israël tolerat: vt humana mens de se humilia sentiat: dum minima non superat. Cùm per tentationem humilitas proficit: prospera est ipsa aduersitas: quæ mentem a b elatione custodit. Idem; Cùm tentamur vitiis, dispensatione diuina nobiscum agitur, ne virtutibus, quibus proficimus, extollamur. 2. ad Corinth. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, &c. Tertio, negligentiam repellit. Vnde glos. dicit super illud Psal. Proba me Domine, & tenta me. Nisi tentaremur, negligentes essemus. Timor hostium facit homines vigilantes: securitas verò facit eos pigros. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Quarto, virtuti adiicit. Seneca: Multum sibi adiicit virtus lacesita. Carnis prouocatus bellicosior efficitur. Gregorius: Ignis flatu premitur, vt crescat: aqua inuento obstaculo, maiores vires exercet. Sic certamen tentationis occasio est, vt ei qui tentatur, gratia augeatur. 1. ad Corinth. 10. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Quinto, virtutem hominis notificat: Tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat si diligatis eum, an non. Gregorius: Nemo vires suas in pace cognouit. Si enim bella defunt, virtutum experimenta non prodeunt. Idem, Mira nobiscum dispensatione agitur, vt mens nostra nonnunquã pulsatione culpæ feriatur. Nam esse se magnarum virium, vel

H vir-

*Glossa ord.
ibi ex Cas-
sio.*

*Matth. 27.
Epist. 13. pa-
rum à prin.*

*Lib. 6. regi-
stri, cap. 19.
à princip.*


Deut. 13.

*In Vita i-
psius quam
scripsit A-
thanasius.*

*1. Tim. 2.
Iacob. 1.*

Tob. 3.

virtutum, homo crederet, si nullum vnquam earundem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sextò, Deum glorificat. In Psal. Eruam te, & honorificabis me. Septimò, populum ædificat. Tob. 2. Hanc tentationem ideo permittit euenire illi Deus, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius. Octauò, ei qui tentatur honorem in præsentem acquirat. Vnde legitur de beato Antonio: qui cum quadam nocte à dæmonibus esset laceratus, subitò venit radius lucis, & dæmones & tenebras effugauit statimque Christum, præsentem intelligens, dixit: Vbi eras, bone Iesu, vbi eras? Quare à principio non affuisti, vt curares vulnera mea? Respon- dit vox ad eum ait: Antoni hic eram: sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem qui viriliter dimicasti, faciam te in toto orbe nominari. Nonò, in futuro coronat. Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Et dicitur de sufferente tentationem, quod cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Hoc pro certo habet omnis qui colit te: quia vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.



TERTIA